DIE SANCTGALLISCHE RHETORIK.

(*fol.* 59 *r.*) DE MATERIA ARTIS RHETORICAE.

Quot sunt genera causarum? tria. quae? iudiciale genus causae. Deliberatiuum genus causae. Demonstratiuum genus causae. Quid considerandum est in iuridiciali genere causae? quid aequum, (59 *v.*) quid iniquum, quid iustum, quid iniustum, quid bonum, quid malum. In qua re uersatur? In premii et penae peticione, in accusatione et defensione. Quid considerandum est in deliberatiuo genere causae? quid utile, quid inutile. In qua re consideratur? In suasione et disuasione. Quid considerandum in demonstratiuo genere causae? Quid honestum, quid turpe. in qua re uersatur? In laude et in uituperatione. Et una quaeque harum trium causarum diuiditur in duos status, in racionalem et legalem. Et rationalis status diuiditur in iiii., in coniecturam et in finem et in qualitatem et in translationem. Tres autem ex illis, i. coniecturalis et difinitiuus et tranlatiuus, intelleguntur per se, non in suis partibus. Et ille quartus qualitatiuus non tractatur per se, sed in suis partibus, i. in iuridiciali et negotiali. Negotialis enim intellegitur per se, non in suis partibus. Iuridicialis autem non tractatur per se, sed in suis partibus, i. in absumptiuo et in absoluto. Absolutum autem intellegitur per se, non in suis partibus. Absumptiuum autem non tractatur per se, sed in suis partibus, i. in comparatione et in remotione et in relatione et in concessione. Tres autem ex illis, i. comparatio remotio relatio, intelleguntur* per se, sed in suis partibus. (60 *r.*) Et ille quartus, concessio, non tractatur per se, sed in suis partibus, i. in purgatione et deprecatione. Deprecatio intellegitur per se, non in suis partibus. Purgatio autem non tractatur per se, sed in suis partibus, i. in inprudentia et in casu et in necessitate. Et illi tres status intelleguntur per se, non in suis partibus. Legalis status diuiditur in

* *l.* non intelleguntur.

quinque, in scriptum et sententiam, in ambiguas leges, et contrarias leges, diffinitionem, et ratiocinationem. Nam in coniectura de intentione, de pulsione facti constitutio dinoscitur. ut aute regem salomonem duae meretrices contendunt. dormiens, inquit altera, obpressit filium suum. E contrario illa dicebat: mentiris. In diffinitione non factum, sed nomen facti negatur. vt in ciceronis exemplo. Qui sacra uasa de domo priuati subtraxit, sacrilegi arguitur. confessus furtum, sacrilegium negat. In translatione minime certatur de facto aut de nomine facti. non oportere tamen fieri ubi factum est, vt in platea missas celebrare; aut quando factum est, vt archiepiscopum pallio uestiri in die non sollemni; aut quibus* factum est, vt ab hereticis babtizari; auquo** crimine, vt si scismaticus est, hereticus scribatur; at*** qua pena, vt morte affici qui uerberibus castigandus sit. In qualitate, i. in generali constitutione, queritur, hoc quod factum est bonum sit an malum, utile aut inutile, iustum aut iniustum. ut in partibus eius declaratur. sunt enim iuridiciale et negotiale. Negotiale (60 *v.*) enim est, dum inuoluta est questio et ex utraque parte ueri simile uidetur hoc quod dicitur, nec facile altera pars alteri concedit. vt quidam uxorem duxit in quadragesima, quae ex eo genuit filium. patre iam mortuo, et† germani fratres hereditatem conantur subripere filio dicentes: non potest heres patris fieri, qui de tali matre natus est, quae tempore ducta non legitimo ipsa facta est non legitima. Defensores eius dicunt: quomodo, quae licita erat patri, non legitima quoque esset? Et si licita matrimonia inlicite perpetrasset et inique, filius non portabit hanc iniquitatem patris. De quibus uerbis hinc et inde oriuntur plurima, quae implicitas in ciuili iure generant questiones. Ergo ciceronis exemplum de hac constitutione aliquantum abhorret a nostra consuetudine. Iuridiciale autem planius est, quia in eo, quid aequum, quid iniquum sit secundum iura naturae requiritur, non secundum consuetudinem iuris ciuilis. et ideo iuridiciale ista constitucio uocatur, quia in eo de iure naturali dicitur. Habet ergo partes absumptiuum et absolutum. Absolutum est, ut qui seruum dis-

* aut a quibus ** aut quo *** aut † ecce

traxit, obiurgatus ab aliquo nil defensionis aliunde requirit, licere hoc tantum dicit. Absumptiuo sunt iiii. partes, comparatio, remotio, relatio, concessio. Agnoscitur enim comparatio, dum ille, qui arguitur de aliqua inprobanda re, ea se dicit maius damnum uitasse, ut (61 *r.*) eius consideratione laudandum sit quod ipse fecit. Ergo quidam piscator, socium delapsum de naui dum cerneret mergi, retraxit eum unco ferreo, quem habuit ad piscandum, eius infixo oculo. qui postea ductus in iudicium pro lesione eius oculi defendit se comparatione maioris periculi, quod non aliter euaderet mortem. Remotio est vt defendat se quis neglegentie dicens: non ad me pertinuit ut hoc facerem. aut si arguitur facti, alterius iussu ad quem hoc pertinet se fecisse dicit. vt minister qui panem obtulit, obiurgatus cur et potum non dederit, remouet a se culpam et pincernam hoc officii habere dicit. Et si sumptuose agere, non se, sed dominum sibi iubentem hoc agere ostendit. Relatio est dum culpa retorquetur in prouocantem. vt de oreste dictum est. Concessio criminis duplex est, In purgatione et deprecatione. Deprecationem cottidiana exempla docent, quando delinquentes in iudicio ueniam postulant et nil defensionis aliunde parant. sicut et dauid confessus est pèccata sua dicens: peccaui domino, et nathân propheta indulgentiam promisit atque respondit: dominus transtulit peccatum tuum, o dauid. Purgatio sequitur triplex, Inprudentia casus Necessitas. inprudentia purgat se qui patrem uel fratrem in tumultu non agnouit et occidit. Paulus (61 *v.*) quoque confessus est inprudentiam dicens: nesciui eum esse principem sacerdotum. scriptum est enim: principem populi tui non maledices. Et item: plasphemus et persecutor eram; sed ueniam consecutus sum, quia ignorans feci. Casus defendit eum cui aliquid iniungitur, et preuentus morbo aut uulnere aut hostili gladio aut subita inundatione fluuii aut aliqua re graui inopinatu non potest obedire. Non sicut ille qui ait: uxorem duxi et ideo non possum uenire. potuit enim, sed noluit. Necessitatem docet quod sepe audiuimus, ui obpressâ mulierem et innoxiam iudicari.* Legalis status diuiditur in quinque, in scriptum

* *l.* ui obpressam mulierem innoxiam iudicari. — *obiger stelle entsprechend im Boeth. s.* 59 Purgatio ist triplex. Ein purgatio heizet

et sententiam, in ambiguas leges, et contrarias leges, difinitionem, et ratiocinationem. Scriptum et sentenciam. Ergo cicero huius status nobile dedit exemplum de greca historia, quomodo epemenondas dux thebanorum, dum annuam potestatem haberet, successori suo statuto tempore exercitum secundum scriptum legis non redidit, sed pro utilitate rei publice diutius aliquantum secum retinuit seque contra scriptum sentencia scriptoris racionabiliter defendit. Ambiguae leges sunt, ut est ciceronis exemplum: Meretrix coronam auream non habeto, uel si habuerit, publica esto. Potest dubitari, meretrix an corona publicetur. Apud nos paulus legem statuit dicens: vnus quisque habeat suam uxorem propter fornicationem. Melius est enim (62 *r.*) nubere quam uri. Ambiguum enim uidetur, an de laicis uel etiam de clericis dixerit. Contrariae leges uidentur de quibus scriptum est in libro salomonis: Ne respondeas stulto secundum stulticiam suam, ne efficiaris ei similis. Et item: Responde stulto secundum stulticiam suam, ne sibi sapiens uideatur. Sed utraque per discretionem suscipienda sunt. De romanis legibus exemplum est: qui tirannum occiderit, rem quam uelit a senatu pro premio accipiat. Item altera lex est. Tiranno occiso eius quoque quinque proximos cognatione magistratus necato. Contigit alexandrum tirannum ab uxore interfici. hec filium suum quem ex tirano habebat sibi in premii locum deposcebat. sunt qui consentiant, sunt qui puerum occidi ex lege dicant. Diffinitio communis status est, quia sicut rationalis ita et legalis est. in hunc modum. Diuina lex est: diliges proximum tuum sicut te ipsum. fit questio: quis est meus proximus? fit diffinitio: qui facit midiam*. Et item: saucium se facere in naui, i. relinquere nauem, et de scapha gubernare nauim, hoc est remanere in naui. De ratiocinatione tale exemplum

casus t. ch. keskiht. Mit casu antseidôt sih ter dir chit taz inis lazti anderes mannes tôd alde sin selbes suht alde etelih ungewândiu geskiht. Anderiu purgatio heizet necessitas t. ch. nôt, also daz ist, ube er ze worte habet taz er wurte captus alde vi obpressus alde in vincula missus. Tiu dritta purgatio heizet imprudentia d. ch. unwizentheit, also Paulus sih antseidôta tô er chad: nesciebam eum esse principem sacerdotum. *die ehhafte noth des deutschen rechtes begreift beides in sich, casus und necessitas.*

* [*d. i.* misericordiam. *s. Luc.* 10, 37. *H.*]

habetur. famis tempore a quodam auditum est, qui humanis carnibus uescebatur. quo ducto in iudicium non est inuentum qua paenitentia uel qua paena dignus sit. Ergo prima est materia, i. causa de qua diximus. deinde oratio, quam nunc dicimus. quae osten- (62 *v.*) dit causam qualis sit. Ipsa oratio ex oratoris procedit sententia, quam rethoricam uocitamus. vt bene intellegas eam extrinsecus haurire de materia quae de intus propinet. Et eadem quid sit, sic definiatur. Rethorica est benedicendi scientia. Quid est bene dicere? apposite, i. apte uel congrue aliquid dicere ad persuadendum uel ad disuadendum. vnde quis haec potest? natura administrat ea, doctrina uero nutrit et auget. Partes eius sunt quinque, Inuentio dispositio memoria elocutio pronuntiatio. Non solum orator, sed et predicator et qui nuncium fert, et quicunque uiua uoce uult narrare, his partibus indiget. Scriptores autem librorum etsi non quinque, quatuor tamen partibus fretos esse oportet. Et cum sex sunt partes orationis illius qua orator utitur in causis, Exordium Particio Narratio Confirmatio Reprehensio Conclusio, earum nulla nisi his quinque poterit partibus expediri. Quicquid enim in omni locutione reprehenditur uel laudatur, ad has quinque pertinet partes.

De inuentione.

Inuentio est excogitatio rerum uerarum aut ueri similium quae causam probabilem reddunt, i. quam defendere uis in iuridiciali genere causae uel suadere in deliberatiuo genere causae uel lau- (63 *r.*) dare in demonstratiuo genere cause. Cur aliter defendatur suadeatur laudetur, nisi sit probabilis? Excogitauit enim salomon rem qua probauit, quae ex duabus meretricibus mater esset infantis uiui, dicens: diuidatur gladio. hoc noluit audire* quia quae mater est diligit filium. quae autem mater non erat, hoc postulauit fieri. Sic et danihel inuenit argumentum quo probauit falsum testimonium prolatum esse contra sussannam. Quia sub cino et sub rino** repugnant et non possunt simul stare. causam igitur sussannae quam ipse defendit fecit probabilem. haec sunt in coniectura iudiciali. In coniectura autem delibera-

* *es fehlt etwa* quae mater erat, ** *Dan.* 13, 54. 58.

tiua iudith inuenit rationem, qua holofernem occidendo, hostes fugando causam suam, quae est non oportere tradi ciuitatem, reddidit probabilem. In coniectura autem demonstratiua samuhel ostendit saulem populo dicens: hic est quem elegit deus. Fit controuersia in populo. alii salutant eum dicentes: viuat rex. filii autem belial dicunt: num poterit iste saluare nos? Deinde pergunt simul saul et samuel cum populo contra filios ammon et reuersi sunt cum uictoria. Inde inueniunt qua causâ* suam probabilem faciant hi qui studiosi erant parcium saulis et samuhelis (63 *v.*) dicentes ad samuhelem: ubi sunt uiri qui dixerunt: non poterit saul regnare super nos? date nobis illos, ut occidamus eos.

De disposione (*so*).

Dispositio est rerum inuentarum et sententiarum in ordinem distributio, *Táz chît scáfunga vnte órdenúnga des ke chósis*. Bona dispositio est rem eo ordine quo gesta est narrare. non est hoc obseruatum in libris regum nouissimis, ubi prepostero ordine quorundam regum obitus, deinde quid in uita gesserit (*so*), narratur. Rationabilis dispositio lucidam facit orationem.

De memoria.

Memoria est firma animi rerum et uerborum ad inuentionem percepio (*so*), *Táz chît kehúgída dés tú gedâhtôst ze sprëchénne*. Sufficit de memoria dicere, si non sit naturalis, artificiosam parere, quod solet fieri uigiliis et assiduis meditationibus. Solemus etiam succurrere obliuioni scribendo et notando quae cogitauimus et monitores substituendo. Nam, ut solinus dicit, bonum memoriae facile elabitur uel morbo uel aliquo casu. Ait ergo omnis orator, ut aduersarios frangat, iudices et auditores attrahat et, ut cicero dicit, persuadeat dictione. Quid persuadeatur? Utique (64 *r.*) factum quod ipse defendit bonum iustum aut honestum esse, aut econtra quod inpugnat turpe et in pudendum et ab omni religione atque iusticia alienum.

* *l.* quo (*oder* rationem qua) causam suam

Quid sit elocutio.

Elocutio est idoneorum uerborum ad inuentionem acommodatio (Elocutio, *daz chit reht kesprache* uel *reht kechose, ist* Ideonorum uerborum acommodatio ad inuentionem, *Dero sculdigon uuorto legida ze dinen kedanchin, ze demo so du sprechen uuellest*). quod si hoc non feceris, acyroloyam paris. Item elocutio est perfecta locutio. Sicut enim ebibe est totum bibe, Ita est eloqui ad integrum loqui. Idoneorum uerborum acommodatio ad inuentionem, i. propiorum (*so*) et conuenientium uerborum adiunctio ad excogitationem. Ergo elocutio pars eloquentiae, quia elocutio ipsa et ceterae partes pariunt eloquentiam. Elocutionis duplex ratio est, vna qua in singulis uerbis lumen apparet, Altera ut dignitas eloquendi copulationis ipsius decore seruetur. Et structurae totius elocutionis cicero duo fundamenta posuit: latine posuit loqui planeque dicere. duo fastigia: copiose ornateque dicere. propria uerba rebus dare, hoc est plane dicere. Haec propterea fun- (64 *v.*) damenta sunt, quia stabilem intellectum et certum constituunt. Sunt tamen et alia propria precepta, quemadmodum plane quis dicat. Translata uerba et alienienata (*so*) ad ornatum pertinent. Nam dum uilescunt propria, requiruntur aliena, ut eis splendida et illustris efficiatur oratio. Propter hanc sublimitatem haec quasi fastigia dicuntur. Nostri itaque scriptores plerique scriptores (*so*) in fundamentis studiosi fuerunt*, fastigia uero quasi superuacua refutauerunt. Ergo ad inuentionem idonea sunt propria uerba, aut pro eis aliena quae decenti similitudine sint propinqua uel contraria. ut, si minus intellegentem stultum dicamus, proprium est. Si asinum uel insulsum, alienum est, commodum tamen propter similitudinem. Si sapientem, plus alienum est, sed per contrarium non minus commodum est ad intellegendum. In propriis simplex locutio est. In alienis figurata locutio est. His et dominus usus est. Nam quod dixit: Ite dicite iohanni, simplex et propria locutio est. Ite dicite uulpi illi, pro herodi, per similitudinem figurata locutio est. Illa autem: quid existis in desertum uidere? harundinem uento agitatam? uel hominem mollibus uestitum? per

* *aus* posuerunt *gebeſsert.*

contrarium similiter figurata est locuti *. Aliquando desun propria, queruntur aliena. ut gemmare uites, (65 *r.*) i. *ougen die reba,* dicimus et letas segetes, i. *sconiu chorn,* non inuenientes quid alius ** dicamus. Aliquando sunt propria, quae quia non sunt ornata, requiruntur aliena. ut fluctuare segetes pro moueri dicimus. Non solum autem singula uerba idonea, sed et sententias oportet fieri idoneas. Sunt namque et ipsae simplices et figuratae. Intendendum est caute, quia quod orator dicit ad inuentionem pertinet qualiter dicat, et quo ministerio uerborum aut sententiarum ad elocutionem pertinet. Si quodcumque causa remedium requirat, hoc paratum habeant, ex inuentionis abundantia est. vt si irati sunt iudices et ille sciat rem uel personam introducere, qua illos placatos et beniuolos faciat. Hic non parum refert, splendidis an festiuis (*tagaltlichen*) an grauibus instet, quia grauem rem aut personam grauibus uerbis, iocosam rem aut ridiculosam, sicut est parasiti, festiuis conuenit explicare. Hoc ad elocutionem pertinet. Ergo omnis locutio simplex uel figurata siue in sententiis siue in singulis dictionibus idonea fieri potest ad inuentionem. Simplex intellegentiam rei amministrat proprietatem *** uerborum. figurata commendat se etiam uenustate compositionis artificiosae aut significationis alienae. vt apto † uirgilium: Marsà (65 *v.*) peligna cohors festina uirum uis ††. Ma et na, gna et sa, ors et ars, uis et ui, similes sillabae dissimilibus distinctae, gratam quodammodo concinnitudinem et concordem uarietatem dant. et fit per industriam talis compositio im omni lingua causa delectationis. sicut et illud teutonicum:

Sóse snél snéllemo
pegágenet ándermo,
só uuírdet slíemo
firsníten sciltríemo.

Et item:

Der heber gât in lítun,
trégit spér in sítun:

* *l.* locutio ** alias *** proprietate † apud
†† [Marsa manus, Peligna cohors, Vestina (*so Dousa und Niebuhr röm. gesch.* 1, 112) virum vis. *der vers wird bekanntlich dem Ennius zugeschrieben. H.*]

sîn báld éllin
ne lâzet ín uéllin.

Hae figurae lexeos grece dicitur*, i. dictionis, in quibus sola compositio placet uerborum. Aliae sunt daneos,** i. sententiarum, ubi aliud dicitur et aliud intellegitur. ut est illud: Porcus per taurum sequitur uestigia ferri. Nam sinodochę*** de opere sutoris totum dicitur et pars intellegitur. vel yperbolice. ut uirgilius dixit de caribdi: atque uno † baratri ter gurgite uastos sorbet in abrutum (*so*) fluctus rursusque sub auras Egerit alternos et sidera uerberat unda. Nam plus dicitur et minus intellegitur. Sicut et teutonice de apro:

Imo sínt fûoze
fûodermâzę,
ímo sínt búrste
ében hô fórste,
únde zéne síne,
zuuélifélnîge.

Hec aliena, sed propinqua sunt. Item per contrarium intelleguntur sententiae. vt in suetudine latinorum interrogantibus: quesiuit nos aliquis? (68 *r.*) respondetur: bona fortuna, i. *Hel unde salida,* et intellegitur: nemo, quod durum esset, i. *unminesam ze sprechenne.* Similiter teutonice postulantibus obsonia promittimus sic: *Alles liebes gnuoge* ††, et intellegitur per contrarium propter grauitatem uocis. Sed hi modi numerati sunt in grammaticae tropis. Hic tantum dicitur, quia aliquando idonei sunt ad inuentionem. Ad hoc pertinet scire alias orationes esse continuas, alias uero per membra distributas. Continua est: Christus assistens pontifex futurorum bonorum per amplius et perfectius tabernaculum non manu factum, i. non huius creationis, neque per sanguinem hircorum aut uitulorum, sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta. Hec non recurrit, sed semper ultra tendit, quia non possunt superiora intellegi, nisi proxima consequantur. propterea finis totius sententiae expectatur, ut intellegatur. Alia autem est districta, cuius omnes partes per se intelleguntur, quae dicuntur cola et commata, hoc est membra et cesurae. ut est illud: Noli mihi

* dicuntur ** *Docen* dianoeas *** *Docen* synecdochice † imo
†† ik hebbe gott un allewege wol *d. sag. der br. Grimm* 2, 360.

molestus esse: iam ostium clausum est, et pueri mei mecum sunt intus in cubili: non possum surgere et dare tibi. Hec periodos dicitur et potest constare duobus membris uel tribus uel quatuor uel sex. Si uno membro (68 *v.*) sententia constat, non periodos, sed colon dicitur. Deum nemo uidit umquam. Martianus pene similem diffinitionem de colo et commate dat, plura uerba absoluta membris, duo uerba* uel plura itidem absoluta caesis tribuens. Caesum est autem pars eius, quod colon dicitur, et per se non intellegitur. vt est: omnis plantatio quam non plantauit pater meus celestis. Hic necessario ad plenum intelletum (*so*) subiungendum est: eradicabitur. et fit colon duobus commatibus. Sed caesum est, quando sensus per se non stat, statim autem subinfertur. ita: Nisi dominus edificauerit domum: caesum est. mox sequitur: in uanum laborant qui edificant eam. et impletur sententia, fitque colon commate diuisum.

Dicendum est quoque de uitiis elocutionis, quae cauenda sunt singulis et compositis dictionibus, et quae non sunt idonea ad inuentionem. In singulis, ut sunt barbara, corrupta, inpropria, antiquata, turpia, differentia, longe recta, insolenter prolata. barbara, i. *E'ndírskiu álder froemidiu,* i. qualia donatus dicit Mastruga cateia magalia, et legibus alamannorum plurima leguntur, ut *nahisteit* et *uueregeldum* et *fredum.*** Corrup- (67 *r.*) ta, i. *sâmerartiu,* ut est cirographum pro chyrographum, perfodiri vt quidam legunt in euangelio pro perfodi, et peiurus pro periurus, intelligere pro intellegere, et omnes barbarismi. Inpropria sunt, i. *tiu unsculdigen,* quas grammatici achyroloias *** grece dicunt, et interpretari possumus manuales dictiones. ut sperare pro ti-

* *l.* membra ** *Docen* nasthai et fredum et uuerigeldum; *l. Alam.* 56 nastahit *d. h.* nastait. *es wird hier als name des eides bezeichnet den eine frau der morgengabe wegen schwört; dabei pflegten aber die frauen aufser der brust noch den zopf zu berühren (rechtsalterth.* 897. *schwabensp. landr.* 20, 6. *Bluntschli Zürich* 1, 108); *ein wort für brust ist der erste bestandtheil schwerlich: mithin bleibt wohl nur die bedeutung von zopf oder flechte. würklich steht auch* nast *im ablautsverhältnis zu* nëst *und* nusta, *eben wie im lat.* nodus *und* nidus *verwandt sind, und* nestila *ist der umlaut dazu.*

*** *im anfang dieses abschnittes* acyroloya, *nämlich* ἀκυρολογία; *der verfafser versteht jedoch* achirologia.

mere, Sicut in illo uersu: Hunc ego si potui tantum sperare dolorem. Nam sperare de bonis dicimus, timere de malis. Tale est: iusto itinere pro recto itinere, aut ueniam dei pro gratia dei. Antiquata, i. *firniu* uel *uiruuorfeniu*, vt alucinari cerritum caperratum, quae antiquis in usu fuisse martianus testatur. Intellegitur enim alucinari uana somniare. Est autem proprie alucinare titiones agitare, ut lumen uideatur. Cerritus est insanus, a cerere dictus. Caperratus hispidus et pilosus uel rigosus, sicut est cornu capri. et apud plautum plurima iam obsoleta. Turpia sunt, ut arrige aures, pamphile, quod in romana lingua de erectione uirilis membri dicitur. et sic lodius* pro malicia sua stercus curiae dicatur. et si propter uirtutem affricani morte eius castrata res publica dicatur. Differentia sunt aliena, i. *úngeháftiu,* quae secundum martianum sine ulla ratione dicuntur, ut si hominem neque corpore durum neque ingenio stolidum lapidem dicamus. longe repetita sunt, i. *ze uerro genomeniu,* vt si uastam caribdim luxuri- (67 *v.*) osam dicamus. Insolenter prolata sunt, id est *uuider geuuoneheite,* quae per deriuationem aut interpretationem nouantur, i. noua inueniuntur, et potuissent quidem dici singulariter, sed non solent. vt a capite capitatus, manu manuatus, ala alatus, remo remitus. a quibus temperandum est propter insolentiam, i. *seltsani alde ungeuuoneheite.* Sic ciceroni insolens uisum est soterem interpretari saluatorem, quod apud nos sollemne et celeberrimum est et ait qui salutem dedit.

De uitiis coniuctorum (*so*) uerborum.

In compositis autem uerbis aliquando structura, aliquando clausula fit uitiosa. Malam structuram soloecismum grammatici uocant. Cuius species sunt moitacismi, lautacismi,** iotacismi, polisignia,*** omoeoprofora, diprofora, hiatus, freni, collisiones, turpia quoque, uel cuiuslibet literae assiduitas repetita, uel multae breues sillabae. Moitacismi lautacismi iotacismi polisigmia sunt ubi he literae m l i s uel plurimum sonant uel male distinguuntur a sequentibus uocabulis. m ut bonum aurum, bonum amicum. l ut

* *l.* si clodius ** mytacismi, lambdacismi *** polysigmia, *wie nachher.*

sol et luna caelo lucent, et luna lucet luce aliena. i ut iure iuno ioui iuncta est, uel non est istud iudicium iudicii simile, iudices. s ut sosias sedens in solario suo suebat soleas suas. Omoeoproforon est similis pronuntiatio, vt apud ennium: O tite, tute, (68 *r.*) tati, tibi tanta, tyranne, tulisti. Diproforon bis prolatum, vt protere pedem pede. Hiulcae sunt compositiones quae hiatum oris faciunt multis uocalibus concurrentibus, vt insulae ionio in magno. Collisae multis consonantibus duriter concurrentibus, vt multum ille et terris iactatus et alto. Freni dicuntur uoces quae in ore his sunt,* vt fratres terrore prostrati in terram ruunt. Turpis compositio, ut iuat (*so*) ire et dorica castra uidere. Casa (*so*) in romana lingua est: uentrem purga. Sic et numerum cum nauibus aequat, turpe est, quia cunna una tantum litera distante ostium muliebris uuluae significat. vnde et latini fugiunt dicere cum nobis, ac prepostero ordine dicunt nobiscum, ne turpitur sonet. Assiduitas cuiusque literae in odium repetitae est (*vnlustsamo gehabenter buostab***), ut casus cassandra canebat. Et apud ciceronem: O fortunatam natam me consule romam. Diuina uero pagina non est obligata his regulis, ut interpres timeret dicere: Omnis homo primum bonum uinum ponit. uel hoc: si conresurrexistis cum christo, quae sursum sunt, querite. Plures quoque sillabae breues uitandae sunt. vt: quam timida leuipedis animula leporis! Sanctum est canere: Magnificat anima mea dominum. Haec ante finem sententiae cauendaẹ*** sunt. Dehinc clausulae quae pessimae sunt non minus cauendae. Sed de bonis prius doceamus. De bo- (68 *v.*) nis clausulis. Monosilbę (*so*) dictiones ubi colon aut comma finiuntur melius ponuntur quam in fine sententiae. Ergo si in longam desinat, ut lex aut nox, precedat trocheus. ut cicero: non scripta, sed nātă lēx. Item ipse: At debet esse legum in re publica prīmă uōx. Si autem in breuem desinat, anapestus aut iambus precedat. vt salustius: Tota autem insula modica et cultibus uărĭĭs ĕst. Haec monosillabae† dictio positione longa, natura et accentu breuis est. Item: filius filii meus nĕpōs ĕst. Dissillabae dictiones aptiores sunt clauden-

* hiscunt ** *Docen* unlustsamo geaberter pûchstab
*** cauenda † monosyllaba

dis sententiis. Et quidem bona clausula iambus et spondeus, vt est: felix patria quae continet bŏnōs conciuēs.* Aut iambus et trocheus, vt est: Corona ambiat căpūt rēgĭs. Bene quoque ponuntur duo trochei, vt illud est: Lex est bonorum ciuium māgnă cūră. Similiter placent trocheus et spondeus, vt est: Haec sunt quae maximi principes sōlă cūrānt. Trissillabam clausulam, si uelis molliter fluĕre eam, fac trocheum et molosum, vt illud tullii: Mare fluctuantibus lītŭs ăgĭtantī.** Item pulchra erit, si media molosi in duas breues, vt: lītŭs ēmĭlĭē. vel si terciam solueris in duas breues, vt: lītŭs aequabĭlĕ. Item fit elegans, si penultima trochei et prima molosi soluatur, vt est: curas rĕgĕrĕ ănĭmōrūm. Item de uitiosis. In monosillabis, si aut breuis (69 *r.*) breuem aut longa longam sectatur in colo aut commate, non sine uituperatione est. vt illud: Ista mea res est. Et ut cicero pro ligario: Non tu eum qui (*so*) patria priuare, qua caret, sed uītā uīs. Quod uoluntate orator, non errore composuit. Dissillabae displicent duobus iambis, vt est: inueni ŏuēs mĕās. vel spondeo et iambo, vt: tenui sēruōs mĕōs. Aut spondeo et pirrichio, vt est: Consūl uĭdĕt. Aut duobus iambis, vt est: pugnare iuuenes pro parentĭbūs sŭīs. Aut iambus et pirrichius, vt est: pugnare iuuenes pro sŭīs părēntĭbŭs. Displicet ualde pirrichius post pirrichium. ita: perdidi bŏnă mĕă. Aut pirrichius et trocheus, vt est: Conqueritur sŭă făctă. Aut pirrichius et spondeus, vt est: Imputat sĭbĭ dēmēns. Aut trocheus et iambus, vt est: Omnia nēmpĕ uĭdēs. Aut trocheus*** vt est: Aspice făctă mĕă. Talis clausula finem elagiaci (*so*) pentametri turpiter reddit. In trissillabis pessima conclusio est spondeus et molosus, vt est: Mare fluctuantibus rūpēs ēiēctīs. Item pessima pirrichius et molosus, vt est: Mare fluctuantibus ăpĕx ēiēctīs. Item uiciosa, si molosi ultimi prima breuis sit syllaba, quia heroicum comma nascitur, vt est: lītŭs ămīcīs. Item cauendus est spondeus ante molosum, s. in tercia syllaba resolutum, vt est: Si semel ad meas cāpsās ăd- (69 *v.*) mĭsĕrŏ (*so*). Item ne incurras in endecassillabi phalleutii (*so*) pecularitatem, vt est

* *l.* cives ** *ein beispiel mit dem reinen molossus und dann einige worte über die auflösung der ersten länge desselben fehlen.*
*** *fehlt* et pyrrhichius

illud ciceronis: Successit tibi lutius metellus. Sic omnes fines metricis similes uitiosi sunt. Quos tamen nec cicero prae magnitudine operis sui potuit uitare. De elocutionis dignitate. Post inuentionem maximam uim habet elocutio. Cicero in libris rethoricorum de sola inuentione tractat, De ceteris partibus ad herentium (*so*) scripsit. Namque habet elocutio nimium exercitationis, i. et (*so*) nimium industriae, ita ut inuentio parum prosit, si non elocutio assit. Sic demum aparet excogitatio, si sequitur eius per uerbum explicatio. Nam quorum maxime miramur ingenia, duabus partibus clari erant, alius inuentione et alius in (*so*) elocutione. In hac palmam habet uarro, in illa tullius cicero, Dicente augustino in libro de ciuitate dei: quanto iuuat uarro studiosum rerum, tantum delectat cicero studiosum uerborum. Ea* grata semper est elocutio, vt a quibusdam postponeretur inuentio vilem estimantibus materiam, quae non esset eloquio decorata, vt hieronimus testatur in expositione euangelica dicens: Quia multi accesserunt legere nostras scripturas, sed abhorruerunt ab exteriori cortice antequam peruenirent ad interiorem medullae dulcedinem. Et augusti- (70 *r*.) nus in libro confessionum de iuuentute sua locutus discernit inter eos, quorum auditor erat ipse, inter manicheum scilicet et ambrosium, quod aliquanto ornatus** esset eloquium manichei quam ambrosii, De cetero autem nullam haberet comparationem, Tribuens his uerbis utilitatem sensuum ambrosio, uanitatem nitidi sermonis manicheo. Tanta enim dignitas elocutionis apud antiquos fuit, ut sine magisterio uerbi pene ingratum esset omne quod audiretur et cicero, ut predictum est***, abuti literis iudicaret qui eas nesciret decorare et artificio commendare.

De pronuntiatione.

Pronuntiatio est ex rerum et uerborum dignitate uocis et corporis moderatio. Possumus haec uerba sic interpretari. Pronuntiatio *dáz ist tíu gerértida dero stímma ióh tis líchamin náh tero geríste déro uuórto únde déro díngo*. Item. quid est pronuntiatio? *kerértida, kebárda, kehába,*

* *l.* Tam ** ornatius *** *diese frühere stelle fehlt jedoch.*

*keúurſtigí, kezâmi, sintsâmi**, *zúhtígi.* Item pronuntiare dicimus *férrenân ságên,* i. preuenire uerba gestu corporis et qualitate uocis. Quid est gestus? *Ántpâra, tâtuuíchúnga***, *ánterúnga, uuérbida.* Et quid est moderatio? *scáfunga, mézunga, métenscáft.* Hinc aparet bene illum pronuntiare, qui loquens digne (70 *v.*) his rebus de quibus loquitur continere se sciat. Ad haec in oratore uox, uultus, gestus, et habitus oris obseruantur. De his singulis precepta rethorice digesta sunt. Bonitas uocis constat claritate, firmitate, suauitate, quae etsi natura tribuit, nutriuntur tamen cibi, potus, coitus temperantia, precipueque ut corpus deambulando moueatur intra breue spacium reditu maturato. Qui motus cum digestionem facilem prestat, sine dubio purgat et uocem. Nimia excursio et longa deambulatio extenuat et fatigat uocem. Post hanc deambulationem statim se orator ad studia conferat, priusque quam sit dicendum uocem lectione suscitet. Nec ab inicio clamandum, sed tenui murmure inchoandum, vt paulatim in uocem possit crescere. vultus quoque pro sententiae dignitate mutandi sunt, sed non ita ut ystrionibus mos est, i. *anterârin,* qui ora torquendo, i. *prieken máchondo,* ridiculos motus, i. *spíleliche gebârda,* spectantibus prestant. In hac parte oculorum magna est moderatio, i. *mézáſtigí,* qui tum hilaritate, tum intentione, i. *ánaseungo,* tum minaci mouentur aspectu. Nec nimium grauioribus superciliis premendi aut petentibus frontem nudandi sunt oculi, i. *úf únde níder* (71 *r.*) *gándên dinbrâuuón**** *níst ze uínstrínne nóh ze uuítsehônne.* Quod in pisone tullius amare uituperat, i. *hántegô scíltit.* Nec molliter agitandi sunt gestus, i. *nóh ze líso ne ruóre síh,* nec muliebriter deducenda sunt latera, (*nóh uuíblícho neuuánchôe mítten sítôn*) nec iactanda deformiter ceruix (*nóhne hálsuuérfôe ze úngezêmero*† *uuís*), ne in illas hortensii illecebras, i. *únzúhte,* quibus etsi uenuste tamen non uidebantur (*so*) uti uiriliter, i. *dí ér téta zíero, ní dóch kómelicho.* Ad sumam†† gestus non is oratori tenendus est, quo schenae placere dicuntur actores, i. recitatores, s. fabularum comi-

* *Docen* sintsámi; *l.* sitisamî *oder* sitesamî ** *l.* tâtuurchunga; *Docen* Quid est gestus? aut parauuichunga *** *d. i.* dien brâuuôn; *Docen* gantendin brauuon † *ebenso Docen.* †† *l.* summam

carum uel traicarum, manus in contentionibus fusa porrectius, i. *ze uérro hína gerárter** *árm stridendo***, in sermocinatione uel narratione contracta, i. *únde aber uuídere gezúhtér ságendô*. Precipue in hac prestandum, ut deceant cuncta, quod magis prudentia quam ulla preceptionis huius arte seruatur.

Epilogus. Has quinque partes rethoricae, qui tenet ipsam, tenet et partes, cum ipsa nihil aliud sit quam quod partes eius. latet autem in occulto, sicut omnis scientia, videlicet in intimo cordis, ubi et anima sedem habet, qua sine haec locum habere non posset. Sed in- (71 *v.*) uenta occasione manifestam se prebet, et in multitudine populi, ubi sunt iudicia plebis et consilia principum curam regni ministrantium, ibi maxime gloriatur, ex his quae de foris hausit quam uera de intus eructuet. Hoc namque totum opus est rethorum, qualis sit ipsa et ingrediens ad eam materia atque de ea egrediens ORATIO.

In derselben Zürcher handschrift, jedoch von anderer hand, als die im altd. leseb. 111. 142 *und in den altd. blättern* 2, 133 *mitgetheilten stücke; ein kleinerer abschnitt bereits im leseb.* 109. *aus einer zweiten, zu München liegenden redaction dieses sanctgallischen collegienheftes, die wie es scheint theilweis ausführlicher, namentlich aber reicher ist an eingeschalteten verdeutschungen, hat Docen in Aretins beiträgen* 7, 290—294 *auszüge gegeben unter dem wenig passlichen namen virgilianischer glossen. auf diesen abdruck gehn die vergleichungen die oben hin und wieder vorkommen.*

* *Docen* gerachter ** *Docen* strîtendo

WILH. WACKERNAGEL.